



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Titvlvs XXII. De Fide Instrumentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

## CAPITVLVM VLTIMVM.

## Venerabilis.

## PARAPHRASIS.

Cervicenses cives cum duobus Clericis Ravennatenſis Eccleſiæ coniurauerunt contra Archiepiſcopum Ravennatenſem, dantes iſtis pecuniam, & jurare facientes ad hoc celandum; poſtea Archiepiſcopus ſuper hæc re litteras à ſede Apoſtolicâ impetravit ad iudices delegatos, eorum quibus cum intentionem ſuam probare non poſſet, niſi per ciues, qui dictum iuramentum ediderant, ideò ne ob teſtium defectum iuſtitia cauſæ pereat, petiuit ab Honorio III. provideri. quare iſ ſcribit ad iudices illos, vt præviâ monitione per cenſuram compellant eos, quos compellendos putauerint ad abſoluendos teſtes à iuramento præſtito, ac deinde teſtes iſtos, ſi gratiâ, odio, vel timore ſe ſubtra-

xerint, ſimiliter per cenſuram cogant ad ferendum teſtimonium.

## SUMMARIUM.

1. Coniurantes contra Episcopum accuſari poſſunt tanquam de graui crimine.
2. Jurans ſe non dicturum teſtimonium in iudicio, id ſi poſtea neceſſarium ſit, jurans prius ad cautelam à iuramento eſt abſoluendus.

**Not. I.** Si qui contra Episcopum coniurationem ſeu cõſpirationem faciant, de hoc tanquam graui crimine accuſari poſſunt, quâ de re vide c. Coniurat. 21. & ſeq. cauſâ 9. q. 1. gl. hęc. verb. Coniurat. Abbatem & Felin. n. 2.

**Not. II.** Qui iurauit ſe teſtimonium non dicturum in iudicio, ſi poſtea eius teſtimonium neceſſarium ſit, abſoluendus eſt prius à iuramento ad cautelam, & maiorem ſecuritatem, vt hęc gl. tradiſ. verb. Iuramento. & dixi in cap. 4. hoc tit.

## TITVLVS XXII.

### DE FIDE INSTRUMENTORUM.

**R**ostquam de præcipuâ ſpecie probationis actum eſt, quæ ſit per teſtes, ſequitur, vt de altero probandi modo agatur, videlicet per instrumenta, id eſt, ſcripturas publicas, & priuatas, quibus res geſta, & in iudicium deducta oſtendi poteſt.

## CAPITVLVM I.

## Si Scripturam.

## PARAPHRASIS.

Exemplo ſeu transcripto non creditur niſi originale, vel authentica ſcriptura exhibetur, aut de eâ fides fiat.

## SUMMARIUM.

1. Scriptura alia publica, alia priuata. Publica eſt, qua manu Notarij legitime conſecta eſt.

2. Solemnitates reuoluntur, quæ in tali publica ſcriptura adhiberi ſolent.

3. Scriptura publica quandoque appellari ſolet qua apud acta publica iudicii conſecta eſt. & hæc etiam authentica eſt, modo raſura, vel alius defectus fraudis ſuſpicionem non moueat.

4. Scriptura priuata alia eſt authentica, alia non authentica. quid utraque ſit, & qua reſquiſita.

5. Exemplum ſeu transcriptum nihil probat abſque originali, niſi per manum Notarij, aliâque ſufficientia teſtimonia ei fides fiat.

**I**n primis aduertendum, quòd Scriptura alia publica ſit, alia priuata, Scriptura publica eſt; quæ manu Notarij legitime conſecta eſt, ſolemnitates autem, quas Notarij in conſciendis instrumentis adhibere ſolent, enumerat Dur. in ſpeculo lib. 2. p. 2. de instrumenti editione. §. 2. & 4. Abbas & Felin. hęc. videlicet

ut exordium fiat per invocationem nominis domini; ponatur incarnationis Christi annus, mensis, dies, indictio. item nomen, & annus regnantis principis, locus, in quo res acta est, videlicet contractus emptionis, vel donatio facta inter partes per expressum consensum, vel debiti solutio facta per realem pecuniæ numerationem coram Notario, & testibus, ut Notarius nomen suum exprimat, & quod rogatus fuerit ab eo, vel iis, ex quorum consensu actus dependet; quod etiam testes minimum duo vocati ac praesentes fuerint actui, quorum nomina instrumento inferri debent; subscriptio tamen eorum non requiritur, sicuti nec partium contrahentium, siue eorum, inter quos res gesta est. Præterea scriptura coram partibus legi debet, atque solenne Notarij signum apponi, non quod hæc omnia ad substantiã scripturæ publicæ requirantur secundum rigorem, sed quod omnia per consuetudinem adhiberi soleant, ut si aliquid prætermittatur, suspicio fraudis inde oriri possit.

3 Insuper scriptura publica appellari quandoque solet, quæ apud acta publica iudicii confecta est, est autem communis scriptura publica etiam authentica seu auctoritatem habens, dummodo non appareat in ea rasura vel alius defectus fraudis suspicionem generans, sed nõ vice versa omnis scriptura authentica publica est, ut mox apparebit, quamvis *Innoc. hic. n. 2. Durand. cu. tit. §. 7.* latius nomen scripturæ publicæ accipiant, ut idem sit, quod authentica.

4 Alia itaque est priuata scriptura, quæ dividitur in authenticam & non authenticam, scriptura priuata authentica est, quæ sigillo aut subscriptione eoq; recognito & approbato, vel alio legitimo modo munita est, ut fidem jure mereatur, licet publica persona non intervenerit, uti hic *Abbas docet n. 2.* sed & id in Germania consuetum est, ut litteræ de contractu testantes per medium circumflexæ, incitæ, & dimidiatis partibus traditæ utriusque contrahentium parti fidem faciant, si coniunctæ litteras rectas & ordinatas reddant, vulgò *Spaltzettel*. Scriptura autem priuata non authentica est, quæ nec testiũ sub-

scriptione, recognitione, aliiisque argumentis sufficienter probata est, ut dicitur *cap. seq.*

Not. vn. Exemplum seu transcriptum nihil probat absque originali exemplari, nisi per manum Notarij, aliãve sufficientia testimonia exemplo fides fiat, videri potest *Durand. §. 3.*

## CAPITVLVM II.

## Scripta.

## PARAPHRASIS.

Si Scriptura aliqua in iudicio exhibeatur per testium subscriptionem munita, qui mortui sunt, non censi debet alicuius firmitatis, nisi manu Notarij confecta sit, vel sigillum authenticum habeat, per quod probari possit.

## SUMMARIUM.

1. Scriptura publica seu Notarij manu confecta manet authentica, etsi inscripti testes cum Notario mortui sint, non item priuata, nisi alio modo, scilicet per sigilla, alios testes &c. probari possit.
2. Priuata scriptura agnita probat contra scribentem, non autem pro ipso vel in prauidicium alterius, nisi aliis adminiculis fulsa sit.  
Neque contra scribentem probabit, nisi causa debendi adiecta sit, v. g. ex mutuo, deposito &c.
3. Testes produci possunt ad probationem scripturæ, vel in ordine ad contenta, vel ad ipsam præciã scripturam.  
Si primo modo, duo testes sufficiunt, & plene probant. Si secundo, non satis est ut affirment subscriptionem &c. esse Titij, sed dicere insuper debent, se presentes fuisse, cum Titius hoc scriberet &c.
4. Tria adminicula, quibus scriptura contra scribentem, si neget, recognosci, & probari debeat aut possit.
5. An omnia tria vel duo requirantur, an verò unum sufficiat, variant DD.
6. Placet Auctori sententia Menochij reo arbitrio iudicis esse committendam.

7. Scriptura priuata a testium sigillo, subscriptione vel alio adminiculo non suffulta, nihil probat, afferunt tamen aliquam coniecturam, si absit fraudis suspicio.
8. Maiorem illa auctoritatem habet, si vetustate temporis sit roborata, subscripto nomine Titij v. g. & appresso sigillo.
9. Libri mercatorum probant contra scribentem, & aliquantulum etiam pro ipso.
10. Consecratio non est improbanda, si Episcopus v. g. Officiali committat sigillum, quo viatur in negotiis auctoritate illius.

7<sup>1</sup> **N**ot. I. Inter scripturam publicam seu Notarij manu confectam & scripturam priuatam hoc discrimen est, quod illa authentica maneat, si demq; firmiter faciat, tamen si inscripti testes, ipsiq; Notarius mortui sint. *c. penult. hoc tit.* at verò scriptura priuata definit esse authentica, si testes mortui sint. Præterquam si alio modo videlicet per sigilla, alios testes, litterarum comparationem &c. probari possit. Ratio discriminis est, quia instrumentum manu Notarij cum debitis solennitatibus confectum, publicam ex iure auctoritatem habet, non item priuata scriptura.

2<sup>1</sup> Pro intellectu nota 1. nos loqui in casu si quis scripturam v. g. syngrapham aut apocham neget, dicatq; esse supposititiam; tunc enim probari debet modo aliquo ex infra ponendis; sin autem agnoscatur à scribente, tum aliâ probatione opus non est. quare dicunt DD. si priuata scriptura agnita sit, quod probeat contra scribentem v. g. si Titius chirographo seu syngraphâ confiteatur se debitorem Caij ex mutuo, non autem probeat scripturam in alterius præiudicium, nisi aliis adminiculis fulca sit. *l. Instrum. 2. C. de prob. l. Publica. 25. ff. de positi.* non item probeat scriptura pro scribente, vt si in creditoris rationibus reperitur, quod Caius ipsi debeat 100. florenos. *l. Rationes 6. & seqq. C. de probat.* sed neque contra ipsum scribentem scriptura probabit, nisi causâ debendi adiecta sit videlicet ex mutuo, deposito &c. *vt gl. docet recepta.*

3<sup>1</sup> 2. Advertendum est pro intellectu notandi, testes dupliciter produci posse ad pro-

bationem scripturæ 1. in ordine ad contenta, si deponant contractum v. g. eo modo, quo in scriptura narratur, celebratum esse à partibus, & hoc casu duo testes sufficiunt & plenè probant, vt omnes fatentur, & legi potest *Conarruias in pract. question. cap. 22.* 2. in ordine ad ipsam præcisè scripturam, interdum enim contrahentes nolunt suam conventionem aliis revelare, sed manu suâ, vel ex mandato suo scriptæ chartæ ipsi subscriptionem in præsentia testium apponunt, plerumque testes etiam subscribere iubent, & quandoque sigillum apponere.

3. Advertendum, in posteriore isto casu, vt testes censeantur recognoscere scripturam, subscriptionem, aut sigillum, non satis est, si affirmant esse hanc subscriptionem, scripturam aut sigillum Titij contrahentis, sed dicere debent se præsentem fuisse, cum Titius hoc scriberet, subscriberet, aut signaret, sicuti ex communi *Conarr. notat loc. cit.*

4. Advertendum pro intellectu primi notandi, tria sunt adminicula, quibus scriptura contra scribentem, si eam neget, recognosci & probari debeat, aut possit.

1. Si testes quicumque fide digni recognoscant scripturam, id est, testentur se præsentem fuisse, cum pars, quæ iam negat, scriberet, aut scripto subscriberet, quod idè addo, quia scribere & subscribere pro æquivalentibus habentur, ita vt si pars manu suâ scripsit instrumentum, opus non sit eiusdem subscriptione, vt *Felin. hic notat n. 1. Memoch. casu 114.*

Alterum, si testes, qui ex partium voluntate subscripserunt, recognoscant suam scripturam.

3. Denique, si scriptura cum eiusdem auctoris confessis, vel approbatis, seu authenticis scripturis comparata similitudinem gerat, eademque intelligi etiam debeat de recognitione sigilli.

His positis dissentiunt DD. vt vtrum omnia duo, an tria requirantur ad recognitionem, an verò vnicum eorum sufficiat. *Bart. in l. Admonendi. d. 1. de iureiur. Abbas hic n. 3.* aiunt, si sola partium subscriptio, vel sola testium subscriptio recognoscatur, vel sola litte-

litterarum comparatio justificetur, fieri probationem semiplenam, non plenam; sin autem duo ex his coniuncta sint, elici plenam probationem, ratio datur, quia proclive est in agnoscendâ scripturâ etiam propriâ errare propter similitudinem & imitationem, quam aliqui callidè nōrunt, aliqui verò existimant sufficere, si testes subscripti recognoscant subscriptiones. *Glos. hic. verb. Authentica. Conarr. cit. cap. 22. num. 4.* similiter *Mascard. conclus. 110. num. 9.* docet sufficere, si tres testes recognoscant partium subscriptionem, aut scriptionem, cui præsentis fuerint, immò aliqui existimant duorum testium recognitionem sufficere apud *Mascard. n. 3.* neque obstat *l. Scripturas, 1. eod. qui potiores in pignore.* nam ea loquitur in casu speciali, si aliquis contra publicum instrumentum, in quo ædes v. g. hypothecæ nomine obligatæ sunt, afferat priuatam scripturam, ex quâ priorem tempore hypothecam obtineat, tunc publicum instrumentum præfertur scripturæ priuatæ, nisi trium testium masculorum vitæ probatæ subscriptionem habeat, quæ lex cum exorbitans sit, non debet ad casus alios extendi, ne in hoc quidem, quòd masculi requirantur, uti *Felin. hic. vult, num. 4. quamuis & in hoc DD. dissentiant.*

7 Mihi placet sententia *Menochij cit. casu 114 n. 7.* iudicis arbitrio committendum id esse, num qualitate causæ, personarum, aliisque circumstantiis diligenter perpensis, sola comparatio scripturæ priuatæ, cum aliis eiusdem authoris authenticis scripturis sufficere debeat ad probationem integram, idque colligitur ex *auth. at si contractus. C. de fide instrum.* vbi præter litterarum comparationem aliud argumentum necessarium esse dicitur, si debitum auri libram excedat. idque propter grauitatem causæ, ergo argumento per sensum contrarium, si causa tam grauis non sit, quandoque sufficet sola comparatio. & idem similiter dicendum est de testium recognitione, sicut expressè docet *Bartol. cit. art. 1.* vbi denique traditam suam doctrinam restringit, iudicis arbitrio rem relinquens, quando ait:

dico tamen, quòd posset esse tanta fides testium, vel tanta vis comparationis litterarum, ut ei daretur plena fides.

Addunt *Barr. & Menoch.* si testes depo- nant de scriptura scriptâ à Titio ipsis præ- sentibus, sed comparatio scripturarum re- pugnare videatur, ad iudicis arbitrium per- tinere, in quam partem inclinare debeat, vel rem in dubio relinquere. Id quoque plerique monent apud *Menoch. n. 11.* si de scriptura dubitetur, num à Titio scripta sit, cogi eum posse à iudice, ut litteras in char- tã efformet, quo seu certo, seu verisimiliter deprehendi queat, num eius illa scriptu- ra sit,

Not. II. Scriptura priuatâ, quæ testium sigillo, subscriptione vel alio adminiculo suffulta non est, nihil probat, quamuis indi- cium aliquod seu coniecturam afferat, si aliunde fraudis suspicio nulla sit, ita sumitur ex *l. Instrumenta. 5. Cod. de prob. & tradunt DD. hic communiter.*

Limitari debet 1. Si scriptura, cui nomen Titij subscriptum, vel sigillum impressum est, sit antiqua, tunc maiorem authoritatem habet, uti *Felin. hic. monet num. 10. Mascard. conclus. 11. n. 6.*

2. Libri mercatorum non tantum probant contra scribentes, sed æqualiter etiam boni viri arbitrio pro scribente, si in repu- blicâ approbati sint, teste *Barr. in l. Admo- nendi. n. 77. Abbate hic. n. 9.*

Vnicum addo: consuetudinem eam im- 10 probari non posse, si Episcopus v. g. com- mittat Officiali sigillum, quo in contracti- bus, aliisque negotiis authoritate illius utatur, est enim talis Procurator ad negotia cum generali mandato constitutus.

Illud verò securum non esse putat *Innoc. hic. n. 4.* si chartæ vacuæ dentur officia- li obsignatæ, ut pro occasione negotij postea formetur & scribatur contractus, aliâque dispositio, nam sigillum debet ap- poni ad confirmationem rei, igitur supponi- tur rem esse, videlicet contractum aut dispo- sitionem, quæ confirmari debeat, quòd e- nim non est, non confirmatur. Potest ta- men defendi consuetudo, si dicatur appo- sitio:

fictionem hanc sigillorum ad chartas vacuas aliud non significare, quam commissam generalem potestatem negotium vnum vel plura nomine alterius gerendi, dummodo tales causæ sint, vt per alium expediri possint, id tamen omnino cavendum, ne officialis diem & locum alibi scribat in charta, perinde ac si scriptura facta esset tempore & loco appositæ sigilli, hæc enim est falsitas.

## CAPITULUM III.

## Ex litteris.

## PARAPHRASIS.

Causam, quæ inter A. & R. vertebatur, Alexander III. iudicibus delegauerat. coram his comparens R. petiit sibi rescriptum commissionis Apostolicæ exhiberi, quod cum inspexisset, volebat falsitatis arguere propter rasuram, quæ in narratione facti apparebat; ad hæc respondet Papa propter eam rasuram litteras falsas, aut suspectas centeri non posse, cum & litteræ priuilegiorum in nominibus possessionum quandoque radantur, & litteræ, si in facti narratione erratum sit, indubitæ corrigi possint per rasuram.

## SUMMARIUM.

1. Rasura non vitiat rescriptum, priuilegium aut instrumentum, si sit in loco non substantiali, seu non suspecto: & quis dicatur locus non substantialis, & non suspectus.
2. Subiunguntur aliquæ limitationes.
3. Rasura in rescripto ad lites minus suspecta est, quam in rescripto gratia seu priuilegio.
4. Errorem scriptoris in rescripto vel Instrumento impetrans corrigere non potest.

**N**ot. I. Rasura non vitiat rescriptum, priuilegium, aut instrumentum, si sit in loco substantiali seu non suspecto. ita sumitur ex hoc capitulo, & docet glossa recepta in cap. Cum olim. 14. verb. Rasuras. de priuileg. Dicitur autem locus non substan-

tialis & non suspectus, quando sine eo intelligitur & subsistit res, quæ rescripto priuilegio aut instrumento intenditur. Hinc autem regulam oppositam inferre debemus, quod rasura in loco scripturæ substantiali seu suspecto vitiat scripturam, priuilegium, instrumentum, vti habetur in c. Venerabilis. 4. iuncta gl. verb. Propter. & l. ult. vbi Bart. & alij.

Limit. 1. Si ex antecedentibus & consequentibus appareat, ita legendum esse, sicuti rasura, aut vox superscripta indicat, tunc præsumitur scriptorem correxisse errorem suum; vti docet gl. fin. in cit. cap. Venerabilis. Mascard. conclus. 1254. n. 19.

Admonent verò DD. si Notarius in instrumento quidpiam rasit, aut verbum super lineam, vel ad marginem adscripsit, vt de eo mentionem faciat ad finem instrumenti, si sit mutatio substantialis, ne alioquin existimetur mutationem ab alio factam esse, vel ab ipso Notario post absolutam confectionem instrumenti, ita *Abbas hic. n. 3. Mascard. n. 27.*

Limit. 2. Si rescriptum, aut priuilegium contineat plura capitula non connexa, rasura substantialis facta in vno capitulo, alia capitula, si suspitione falsi careant, vitari non debet, teste *Abbas hic. vers. ult. Quæro. Felin. num. 15. argum. l. Proximè ff. de his, quæ in testamento delentur.* nam vitale per inutile vitari non debet, *reg. 37. in 6.* Alia ratio est de teste, cuius si vnum dictum falsitatis arguatur, etiam alia eius dicta infirma censentur; eò quòd sint profecta à periuro.

Limit. 3. Si instrumentum penes aduersarium fuerit, & cum illud exhibere iubetur, rasum appareat; præsumitur ab eo, penes quem fuit, vitiatum, vti docet *Mascard. num. 17.* opus tamen hic est iudicis arbitrio.

4. Si per alias scripturas authenticas pars rasa instrumenti intelligi, eiusque verus & originalis sensus deprehendi possit, vti docet *Abbas hic. n. 4. Mascard. n. 21. Felin. num. 14.*

5. Rasura, vel inductio non obstat in loco

Loco testamenti, quo libertas concessa est, cit. l. Proximè. §. ult. idque favore libertatis. & docet ibi Bart. & alij, Felin. hic. num. 16. idem locum habere in aliis dispositionibus favorabilibus, videlicet in legatis ad piam causam, vt litura, vel inducō obesse non debeat; id verò intelligitur, si dubium sit de voluntate defuncti, tunc, quod benignius est, preferendum fore; si autem certò, aut valde probabiliter constet non fuisse voluntatem vltimam defuncti, vt libertas seruo. aut legatum causæ piæ concedatur, tum cessat præsumptio juris. teste gl. in cit. l. verb. Induxit.

Not. II. Rasura in rescripto ad lites minus suspecta est, quam in rescripto gratiæ seu priuilegio, ita sumitur ex hoc cap. Es. s. ult. de crim. falsi. ratio est, quia rescriptum ad lites seu iustitiæ facillè conceditur.

Quæritur, si rescriptum, aut instrumentum scriptoris errorem contineat, num eum impetrans corrigere possit. Videtur affirmandum, quia errorem corrigere bonum, & rectum est, & in nullius damnum cedit, sed contrarium ex communi rectè docet Abbas n. 3. quia id legibus ac consuetudine gentium ob publicum bonum iustè prohibitum est, ne quis in litteris publicis quidpiam radat, mutet, aut deleat, cum ea quæ à publicâ potestate procedunt, à privato attingi non debeant, propter errandi falsandivè periculum, & eadem fermè ratio est, si sit scriptura priuata, sed communis cum altero, aut saltem propter præiudicium eius ad ipsum etiam pertinens, vt sine ipsius voluntate nulla mutatio fiat.

## CAPITVLVM IV.

## Accepimus.

## PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Archiepiscopum Cantuariensem & monasterium S. Augustini super exemptione; monasterium se tuebatur priuilegio Apostolico, sed Archiepiscopus illud falsitatis arguebat, eaq;

prætensione monasterium ad subiectionem cōpellebat. tum respondit Alex. III. cum priuilegia non inspecta falsitatis argui non possint, difficilè autem & periculosum sit ea Romam transmitti, idè exhibenda esse Archiepiscopo in claustro monasterij, vel alio securo loco vsque ad natiuitatem S. Ioannis; sin autem Archiepiscopus per se vel alium idoneum non aduenerit, deinceps non audiatur, si priuilegium falsitatis arguere velit; interim verò priuilegij valor in possessione maneat, & sententia, quæ secundum priuilegium jam lata est inuolabiliter obseruetur; porò si Archiepiscopus ad monasterium priuilegij inspiciendi causa accesserit, plures, quam duodecim personas secum non afferat.

## S V M M A R I V M.

1. Priuilegium aut Instrumentum vt transmittatur, non est consultum nec securum; in casu autem, quo de eo dubitetur, quid agendum.
2. In casu quo quis priuilegium falsitatis arguat, quod sit officium iudicis.
3. Negligentia Prælati in judicialibus obest Ecclesie, quæ tamen si lesa sit, fruatur beneficio restitutionis in integrum.
4. Si arguens Priuilegium falsitatis illud lacerasset, An priuilegiarius causam contra arguentem obtineret, & frui suo priuilegio posset.

Not. I. Securum non esse, neque consultum, vt priuilegium, aut instrumentum transmittatur, sed si de eius tenore dubitetur, vel in loco, vbi asseruatur, aliòve securo inspiciendum tradi debet, vel exemplari.

Not. II. Si quis priuilegium alterius falsitatis arguat, iudex statuet ei terminum temporis, inter quem compareat ad inspiciendum & convincendum, si non venerit, fertur sententia pro priuilegio, quemadmodum id ipsum fieri solet, si quis alterum infamet v.g. si dicat illegitimè natum, vt statuatur ei tempus ad probandum defectum, vel

vel crimen, si non venerit, imponitur ei silentium perpetuum, ne in posterum infamet. *l. Diffamari. §. C. De ingenuis*, est enim & hæc privilegij de falsitate coargutio species quædam diffamationis, uti docet *Bart. in l. Titia. ff. de accus. Anton. & Abbas hic. n. 3.* & ita habemus casum, in quo sententia ferri potest contra absentem, lite non contestatâ.

3. Quæritur 1. Num sententia ista, si post culpabilem absentiam lata sit contra Archiepiscopum, etiam ad successores transeat, videtur negandum, quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare. *reg. 76. in 6. cap. 3.* sed contrarium est verum, quia ut glossa dicit *in cit. reg. Abb. in cap. 1. De dolo. Felin. hic. num. 6.* negligentia Prælati in judicialibus obest Ecclesiæ, conceditur tamen ei, si læsa sit restitutio in integrum. *c. 3. de in integrum. restitut.*

4. Quæritur 2. Si Archiepiscopus lacerasset privilegium, num monasterium obtinere debuisset exemptionem cōtra Ecclesiam Cantuariensem. affirmandum cum Abbate hîc, idque ex pluribus capitulis. Ostenditur 1. Propter antecedentem sententiam, pro quâ est juris præsumptio, donec legitima exceptio, quæ etiam post latam sententiam opponi potest (videlicet instrumentum fuisse falsum & suppositivum) ostendatur, in hoc autem casu, ut ponimus, ostendi non poterit instrumenti falsitas, si laceratum sit vel abiectum.

2. Melior in dubio debet esse conditio possidentis, ponimus autem monasterium esse in possessione exemptionis, igitur tamen etsi pro eo sententia lata non sit, tamen præsumptio est, donec contrarium ostendatur, quare interim etiam possessione privari non potest, nec quidquam ei ab Episcopo tanquam subiecto imperari, alioquin competeret interdictum possessionis retinendæ, uti *Felin. hic docet n. 11. Dominic. §. ult. in 6. Innoc. & Abbas in c. Venerabilis. n. 3. de censibus.*

3. Quia subtrahæta est parti copia probationis, igitur perinde censeretur, ac si plenè probatum sit, prout existimat hîc *Abbas*

*n. 5.* Sed hæc ratio difficultatē habet, quia licet verissima sit in causâ priuatâ, si v. g. Titius subtrahat, laceret, aut igni iniiciat instrumentum, quod plena contra ipsum probatio adesse censeatur, iuxta *l. Si de possessione 20. de prob. ubi Bart.* ait, probare furtum instrumentorum suorum, est sufficiens probatio contra furem, hæc tamen doctrina locum habere non videtur in casu nostro, quo agitur de iuribus Ecclesiæ; obstat enim regula, quod delictum personæ (maximè si in commissione sit extrajudiciale) Ecclesiæ obesse non debet, quare dicendum, quod in hoc casu Ecclesiæ admittenda sit, si ex alio capite ostendere velit subiectionem monasterij, aut falsitatem instrumenti v. g. per testes.

## CAPITVLVM V.

## Contingit.

## PARAPHRASIS.

Abbas & Conventus S. Secundi questi sunt Cælestino III. interdum contingere, ut si litem habeant cum aliquo, privilegium suum exhibere cogantur adversario, atque ita occasione vnius capituli plura nova litigia consequi. Adhæc respondit Papa, si requisiti fuerint super exhibendo privilegio, indulgentiâ, vel instrumento, ut in præsentia iudicis, aliorumve prudentum virorum ab ipso deutorum tantummodò recitari faciant, seu prælegi, ita ut si de vno tantum privilegij capitulo quæstio sit, illud duntaxat, describatur, & parti adversariæ tradatur.

## SUMMARIUM.

1. Instrumentum vel privilegium, quod quis coram iudice allegat, totum adversario legi debet: sed solum illud capitulum edi debet, super quo controversia est, vel ex quo ea dependet.
2. Ratio redditur prædictæ constitutionis Pontificiæ.
3. Edere cogitur privilegium aut instrumentum Actor & Reus, si ille agendo, & hic

“ “ 2

excip-

excipiendo fundet intentionem super eo.  
 4. Casus ponitur, quo totum privilegium vel  
 Instrumentum edi debet.

**1** **N**ot. I. Si pars litigans in causæ suæ in-  
 structionem aut defensionem, privi-  
 legium, indulgentiam, aut instrumentum  
 alleget, non cogitur illud ponere apud acta  
 iudicii, sed permittit tantum, ut præsentem  
 adversario totum legatur, illud autem ca-  
 pitulum, super quo controversia est, seu ex  
 quo ea dependet, describatur, & copia par-  
 ti adversariæ tradatur, ita etiam habetur in  
 cit. cap. *Cum persona*, & explicat ibi gl. verb.  
*Integraliter*.

Pro intellectu in primis adverte, quod  
 aliud est edere instrumentum, & aliud præ-  
 legere, nam edere est describendi copiam  
 facere, seu exemplum inde sumendi. *l. 1. §. 1.*  
*edere. ff. de edendo*. Sin autem prælegatur  
 tantum instrumentum, tum audiens ple-  
 nam inde notitiam ferme non accipit, ut  
 docet glossa, & Francus cit. cap. *Cum persona*,  
*Abbas & Felin. c. Ultra. de test.* ubi aiunt, eum  
 qui tantum legi audiuit dicta testium, non  
 plenè ea didicisse.

**2** Sed hanc rationem non arbitror esse  
 principalem, cur instrumenta non edantur,  
 sed tantum prælegantur adversario; quan-  
 doquidem ex solâ lectione sufficiente in ple-  
 rumque notitiam capere possit, cum etiam  
 assessores & consiliarij in curiis principum  
 sententiam dicere soleant vno tantum le-  
 gente, aut referente instrumenta, aliasque  
 probationum partes. Alia itaque causa red-  
 di debet, ne adversarius, vel alij si copiam  
 privilegij consequantur, nova litigia exsu-  
 scitent, ideò non cogitur aliquis privile-  
 gium edere, nisi causa, de qua lis est, id  
 postulet; sola autem prælectio non po-  
 test dare ansam novæ litis, cum adversa-  
 rius nihil producere possit, Reus autem  
 contra quem agitur, instrumenta propria  
 edere non cogatur.

**3** Adverte 2. Si vel Actor agendo vel  
 Reus excipiendo fundet intentionem su-  
 per privilegio, aut instrumento sibi pro-  
 prio, tum iudicis officio cogi potest, ut

illud in originali exhibeat. *l. 1. §. edenda. ff. de edendo*. & videri potest *Gail lib. 1. obseru. rorum. 11.* ideò nimirum, ut & iudex cau-  
 sæ merita cognoscat, & adversarius sciat,  
 rectène actor agat, necnè, & quomodo  
 se contra eum defendere possit, ut docet  
 glossa in cit. *l. 1.* Sin autem Actor vel Reus  
 intentionem suam non fundet super pri-  
 vilegio sibi proprio, tum illud edere non  
 cogitur. cit. §. *Edenda*. ubi dicitur, quod a-  
 liquis non cogitur edere instrumenta, qua-  
 bus usus non est, & in *l. Qui accusare. 4.*  
*Cod. eodem*, quod Reus ad petitionem A-  
 ctoris edere instrumenta non cogatur, quia  
 Reus absolui debeat, si actor ex propria  
 veluti penu probationes afferre nequeat. I-  
 deò autem in cit. *Cum persona*, exempti pri-  
 vilegium exemptionis petenti Ordinatio ex-  
 hibere debent, quod ipse ex communi iure  
 habeat fundatam intentionem, quamob-  
 rem qui exemptos se dicunt, fundant se in  
 exceptione, quam probare debent, ideòque  
 privilegium exhibere.

His intellectis, in notando dictum est 1.  
 quod agens vel excipiens qui fundat se su-  
 per privilegio &c. non cogatur relinquere  
 iudici illud apud acta, ut docet *Abbas &*  
*Felin. num. 7.* Ratio dari debet, ne copia inde  
 accipiatur, unde novæ lites oriantur, deinde  
 non privilegium amittatur; debet tamen pe-  
 tenti iudici in manus tradi ad cognoscen-  
 dum valorem eius, & plenum intellectu  
 secundum antecedentia & consequentia ca-  
 piendum, ut colligitur ex cit. *Cum persona*,  
*iuncta gl. verb. Integraliter*, & docet *Bartolus*  
*in l. Argentarius. 10. §. Edi. ff. De edendo. arg.*  
*l. Incusle. 24. ff. de legibus*.

**2.** Dicitur est, totum privilegium præ-  
 sente adversario legendum esse, ratio est,  
 quia id inseruit plerumque ad plenum in-  
 tellectum eius capituli, de quo agitur, liqui-  
 dem & ex proëmio colligi solet, quo modo,  
 conditione, aut intentione, privilegium &c.  
 datum sit, & in fine quandoque apponitur  
 clausula modificans & restringens omnia,  
 quæ præcesserunt.

**3.** Dicitur est, quod tantum istud capitulum, de  
 quo controversia est, seu quod ad intentionem  
 liti-

litigantium spectat, edendum sit, ita ut copia tradatur, ratio est, quia circa illud capitulum lis jam orta est, ideoque expedienda utriusque parti relicta plena facultate causam tuendi, vel agendi, sed circa alia capitula cum lis orta non sit, non debet litibus orituris ansa præberi, idemque sentendum de testamento, quod totum legatario edi non debeat, sed eius tantum partis copia petenti dari, quæ ad ipsum pertinet, teste *Barr. in cit. §. edi. videatur gloss. magn. in cit. l. 1.*

Cæterum, si ex lectione instrumenti, aut privilegii videatur iudici, capitula inter se connexa esse, ideoque ad controuersiam discussionem omnia pertinere, tum jubere potest, ut totum edatur, non tantum iudici, sed etiam aduersario, ut *Felin. hinc docet n. 1.*

## CAPITVLVM VI.

## Inter.

## PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Abbatem S. Donati, nomine monasterii, & Mediolanensem Archiepiscopum super portu Scozulæ & annexis, quæ monasterium ad se pertinere dicebat, ideoque sibi cum fructibus perceptis restitui petebat: saluo iure addendi, vel demendi libello. Et intentionem suam probauit, per privilegium Luithardi comitis quondam Episcopi Lucani fundatoris, qui ea monasterio donauerat. 2. Per instrumentum sententiæ pro monasterio ab Asperto quondam Archiepiscopo mediolanensi latæ ex Ludouici Imperatoris delegatione. 3. Ex privilegio Henrici Imperatoris, qui ea omnia monasteria confirmauit, vel etiam contulit. 4. Ex instrumento locationum, quas Abbates variis temporibus faciebant. 5. Per productos testes probare nitebatur, quod supra annos 50. in possessione fuerit, & quod fama publica sit de donatione à Luithardo factâ monasterio. Sed contra privilegium dona-

tionis multa ab Archiepiscopi procuratore obiiciebantur. 1. quod maxime consumptum sit in annotatione indictionis, ubi falsitas facile deprehendi potuisset. 2. Cum charta vetustissima videretur, scriptura visa est recentior. 3. Sigillum vitiosè appositum videbatur, partim quia Cæsaris potius referebat imaginem, quam Episcopi; partim quia in vna sigilli parte cera nec in planitie, nec in colore parti alteri similis apparebat; partim quia in nomine Luithardus duæ literæ, ita ut æquè Lotharius legi posset, imò spatia interiecta in literis omnibus ita se habeant, ut Lotharii nomen magis conueniret, partim quia cera ex parte interiore erat vetusta, ex parte autem exteriori recens & mollis; insuper sub vetusto sigillo charta erat perforata, & per glutinum nouæ appositæ ceræ fulcrum ipsi additum, sed & eadem falsitatis species in cæteris fermè Imperatorum privilegiis apparebat, præter privilegium Henrici, quod tamen etiam ad fidem faciendam sufficere non videbatur, quia nec publicâ manu confectum erat, nec authenticum sigillum habebat, ad quod ex mediâ parte fuerit consumptum, & vltima nominis syllaba icus appareret, ut non minus Ludouici sigillum esse potuisset.

Instrumentum quoque latæ sententiæ multumodè suspectum erat, tum quia quædam in ipso literæ apparebant, tum quia notarii subscriptio aliam manum præferbat, quam scriptio instrumenti, quâ tamen notarius in subscriptione profiteretur se manu suâ scripsisse, litera quoque recentior videbatur, quam charta, & atramentum, aquâ infectum, ut vetustius appareret; in omnibus autem privilegiis imperialibus, licet posterioribus, nulla mentio sententiæ latæ.

Sed etsi ponamus legitimum esse instrumentum de latæ sententiâ, tamen Ecclesiæ Mediolanensi non præiudicat, cum lata dicatur inter alios, res autem inter alios acta aliis non præiudicat, quare nec attestaciones, quæ in eodem instrumento

continentur, nocere Ecclesie debent, cum inter alias personas, & in alio iudicio receptae sint.

Uterius, Henrici Imperatoris priuilegium non tantum confirmatorium, sed etiam donatorium fuisse videtur; quia autem id respectu eorundem intelligi non potest, cum eadem res respectu eorundem non possit intelligi donari, & tanquam prius habita seu possessa confirmari, si quidem quod meum est, non potest ex alia causa meum fieri, nisi desierit esse meum, idem ut explicetur priuilegium modo, quo valere potest, intelligi debet, ut Henricus alia donauerit, & alia confirmauerit, quare cum priuilegium confirmatorium tantum fuerit quoad ea, quae in iudicium deducta sunt, idem si principale valorem non obtinet, nec accessorium valere debet, denique neque per instrumenta locationis proprietates probata est, nec plena possessio, cum ad probationem rei propriae aut possessionis non sufficiat facta locatio, has ob causas, post diuturnam litem, cum ea, quae peterentur, satis probata non fuerint, Pontifex procuratorem nomine Archiepiscopi & Ecclesiae Mediolanensis à monasterii impetitione absoluit, quia cum obscura iura partium sunt, contra petitionem vindicari debet.

## S Y M M A R I U M.

1. Clausula, salvo iure addendi, demendi, cur nihil aut parum operatur in libellis.
2. Potest aliquis simul esse Episcopus & comes, quod tribus modis fieri potest.
3. Per Clericalem ordinationem, aut Religionis professionem jus nobilitatis non amittitur.
4. Episcopus vel alius Clericus in sacris potest esse iudex delegatus ab Imperatore, vel alio saeculari principe in causis civilibus.
5. Priuilegium in se nullum, confirmari non potest.
6. Limitatur praedicta doctrina.
7. Locatio rei à re alteri facta, non probat eiusdem dominium, nec plenam possessionem.

1. Quid sit iudicium, & quomodo experiendas eius animus.

NOTA I. Edito libello apud iudicem quandoque inseritur clausula salvo iure addendi, minuendi, eam tamen nihil, aut parum operari docet Innoc. hic, & gl. verb. iure addendi, nam communi iure concessum est actori, ut libello addat, vel demat ante litem contestationem, dummodo aduersario sufficiens dilatio concedatur, si libellus mutatus sit ad videndum, & deliberandum, num cedere, an litigare malit, expensarum quoque compensatio fiat ob moram longiorem, l. 3, vbi gl. & DD. cod. de edendo.

Nota II. Potest aliquis simul esse Episcopus & comes, id vero tribus modis accidere potest; si comitatus Episcopali sedi annexus sit, sicut Herbipolensi Ecclesiae ducatus Franconiae, quae de re lib. 3, Th. Mor. Tract. 4. cap. 24. n. 10.

2. Si ex Comitum familia oriundus sit secundum regionis consuetudinem, ut omnes nomen, dignitatem & priuilegium Comitum gerant, qui ex tali prosapia sunt, secundum gl. c. ult. 23. q. 1. verb. rex. falsum enim est, quod docet gloss. in c. Praesens. 4. causa. 2. q. 3, quod desinit esse quis Comes, cum factus est Clericus, imò non tantum per clericalem ordinationem jus nobilitatis non amittitur, sed neque per religionis professionem, sicut bene docet Tiraquellus de nobilitate, c. 26. n. 3. Sanch. tom. 2. Moral. lib. 7. c. 12. n. 13. tum quia nobilitas familiae jus quoddam sanguinis est, quod naturale & immutabile censetur, l. ius agnationis. 34. de pactis. vbi dicunt DD. quod iura generis dirimi non possunt, tum quia qualitas nobilitatis, quatenus in honore consistit, non in officii administratione, religionis professioni non repugnat, sicut nec gradus doctoris, licet contrarium sentiat gl. c. 1. verb. ingenuus. de purg. Canonica, & alii apud Tiraquellum c. 27.

3. Si Comes comitatus administrationem retinens Episcopus fiat, nihil enim id fieri prohibet secundum Abbatem. hic. n. 5. & indicat gloss. c. 3. causa. 20. q. 3. argum. c. vic.

ole. no Clerici, vel monachi in 6. nisi comitatus sit feudum non liberum, seu francum, sed seruitiis obligatum, vti docui cit. cap. 24. n. 10. & videri potest Rosenthal. de feudis, cap. 7. concl. 30. deinde si administratio comitatus esset magna, & secularibus negotiis, ac curis valde implicata, ea Episcopum, vel Clericum in sacris non deceret: data operâ dico, si secularibus negotiis implicata sit, quia administratio comitatum aut principatum, quæ Episcopatum, vel alteri Prælatu- ræ annexa est, Ecclesiastica, & ratione finis vltimati quodammodo spiritualis cense- ri debet.

4. Not. III. Episcopus, aliufuè Clericus in sacris potest esse iudex delegatus ab Imperatore, aliouè seculari principe in causis ciuilibus, quod in Imperio frequentissimum est, quin imò possunt etiam esse iudices ordinarii v. g. camera imperialis præsidet, quæ de re dixi lib. 1. Th. Mor. Tract. 5. p. 5. cap. 3. n. 5.

5. Not. IV. Varii sunt modi, quibus instrumentum falsitatis argui possit, qui in textu considerari possunt.

6. Not. V. Si privilegium in se nullum sit, confirmatio non tribuit ipsi valorem, nam quod non est, non confirmatur, cum qualitas seu adiectio supponat subiectum, quæ de re Innoc. hie.

Limita: nisi princeps verba adiciat, quibus significet, si defectus seu nullitas subsit, se ex certa scientiâ aut plenitudine potestatis de nouo concedere, vti hic explicat Joan. Andreas, n. 21. Felin. n. 6. dummodo defectus talis sit, quem princeps supplere possit & quandoque rationabiliter soleat.

Ex quo colligitur si actus irritus fuit ob defectum consensus in contrahente, aut concedente, quod princeps supplere eum non censeatur, seu quia non potest sine præiudicio alterius, seu quia non est consultum vt quod absque vilo fundamento est, & ne naturaliter quidem subsistit, id per modum confirmationis concedatur, vti Abbas hie tradit; idè inque sentiendum, si falsi crimen, aut fraus iniusta in instrumento, re- scripto, aut privilegio impetrando commis-

sum sit, vti notat. Durand. in speculo. de in- strument. editione. §. 11. post princip. non enim tales defectus princeps ordinariè lo- quendo supplere vult, sed juris solennitates, si forte omissæ fuerint.

Not. VI. Ad probandum dominium rei, non sufficit ostendere, quod alteri à te locata fuerit. l. Approbat. 23. cod. de legatis. nam etiam rem alienam conductor alteri locare potest, nisi in locatione prohibitum fuerit. l. nemo. C. eodem. consequenter rem locatam fuisse, sufficere etiam non potest ad plenè probandam possessionem, cum con- ductor, qui plenè non possidet (quia non suo nomine possidet) locare alteri possit, vti dictum est.

Quæres quid sit indictio. Resp. aliud non esse, quam trinam exactionem tributi siue census. C. de indict. lib. 10. quæ tribus conti- nuis lustris fieri solebat ab Augusto Cæsare: vna in ferro pro armis fabricandis; altera in argento, pro militibus stipendiariis; tertia, auro, pro republicâ: Exactis autem tribus lustris seu annis 15. à capite inchoabatur tri- na exactio seu indictio. Secundùm istas in- dictiones tempore Concilii Nicæni primi explosis Olympiadibus, anni numerari cœ- perunt, quod & hucusque obseruatum est. Ad reperendum autem indictionis annum diuidantur anni à Christi incarnatione per 15. & abiectis illis numeris, ei, quod super- est, adiciatur numerus ternarius (quando- quidem Christus dominus indictione tertia seu tertio indictionis anno natus est) & ap- parebit indictio iuxta versum, quem affert Durandus, de fide Instrum. §. 1. n. 6.

Si per Quindenæ domini diuiseris annos

His tribus adiectis, indictio certa no- tatur.

Exempli gratia, si 1629. diuidantur per quindecim, emergunt 108. & restant nouem, quibus si adicias tria habes, anni huius indictionem duodecimam.

Alius modus reperiendi est, si ab anno 1562. quo anno Calendarium à Greg. XIII. correctum est, numeres annos vsque ad præ-

præsentem erunt 47. quem numerum si per 15. diuideris, atque restanti numero, qui est binarius, denarium addideris (ea enim indictio in annum 1582. cadebat) præsentis anni indictionem habebis videlicet duodecimam.

## CAPITVLVM VII.

## Quod super.

## PARAPHRASIS.

Cantuariensis Archiepiscopus consuluit Innoc. III. quid agere debeat iis, qui cum votum expeditionis Hierosolymitanæ ad recuperandam terram sacram suscepissent, Româ redeunt asserentes se à Sede Apostolicâ absolutos esse, & super hoc ignota Cardinalium sigilla exhibent, tamen si eorundem impedimenta, quo minus vota exsoluant, non videantur legitima; Respondet Papa, si quando ipse talibus absolutionis literas indulget, quod eas destinet ad illos, qui personas & earum facultates cognitæ habent, vt super expositis impedimentis diligenter inquisitâ veritate statuunt, quod animarum saluti & suæ cuius terræ sanctæ expedire magis ipsis videbitur, ne alioquin in voti fraudem fallaciter aliquid confingatur, quare si tales homines compererit Archiepiscopus per veritatis suppressionem, aut falsitatis expressionem literas Cardinalium, aut Papales etiam certò datas impetrâsse, carere debent vigore, & vouentes ad executionem voti sui compellendi sunt.

## S V M M A R I V M.

1. Dispensatio super voto, si iustâ causâ non nitatur, non tantum illicita, sed etiam irrita est.

**NOTA I.** Quandoque non Pontifex ipsemet tribuit absolutionem à voto, aut matrimonii impedimento, sed mandat alicui commissario, aut confessorio, Magistro in Theologiâ, vel iure Canonico, vt in

regione, vbi notitia personæ, & statûs, ac facultatum eius haberi potest, si preces, & rationes Pontifici propositas veritate niti intelligat, Apostolicâ autoritate absoluat, vel dispenset; quare talis censeri debet executor mixtus, qui ministerium absoluendi, aut dispensandi sibi commissum exsequi debet præmissâ cognitione causæ. Porro quænam expressio falsi, aut suppressio veri rescriptum gratiæ iure irritum reddat, dixi *lib. 1. decret. de rescriptis. & lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 22. q. 4.*

**Not. II.** Dispensatio super voto si iustâ causa non nitatur, non solum illicita sed etiam irrita est, ita sumitur ex *hocc. & docui cit. q. 22. q. 1. & lib. 4. Th. Mor. Tract. 4. cap. 8. n. 4.*

## CAPITVLVM VIII.

## Pastoralis.

## PARAPHRASIS.

Si Pontificis quædam extrauagans, seu in iuris Canonici corpore non posita constitutio in iudicio allegatur, de qua iudex meritò dubitat, num authentica sit, tunc si iuri communi consona sit, secundum eam pronuntiet, quia non tam ipsius quàm communis iuris auctoritate niti censetur, sin autem dissona sit, secundum eam non pronuntiet, sed superiorum prius consulat.

## S V M M A R I V M.

1. Extrauagans Constitutio si in corpus juris non sit redacta, vel sub formâ bullæ authenticæ exhibita, probabilem ignorantiam ac dubitationem habet, an secundum illam sit procedendum.
2. In dubio, an lex promulgata vel obligatoria sit, Princeps vel auctor legis consulendus.

**NOT. I.** Extrauagans constitutio si in corpus juris Principis auctoritate redacta non sit, nec sub formâ bullæ authenticæ exhibeatur, probabilem causam ignorantiam ac dubi-

dubitationis habet, num secundum eam procedendum sit, idemque sentiendum de epistolâ, aut rescripto Principis, etsi enim jus faciat. *l. 1. ff. de constitut. principum.* tamen nisi in corpore juris sit, vel authenticè exhibeatur, probabilem ignorantiam, ac dubium parit. his addit *Felin. hic n. 5.* quod plures extrauagantes moribus vrentium receptæ non sint, & idèd obligationem non pariant, maxime quoad pœnas, seu censuras earum, vti docent *DD. c. In istis. distinet. 4.* & dixi de hoc *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 3.*

Not. II. In dubio, num lex promulgata, vel obligatoria sit, conuenit, vt princeps seu auctor legis consulatur.

## CAPITULUM IX.

## Cum dilectus.

## PARAPHRASIS.

Innocentius III. hic duo respondet, primum, quod instrumenta post publicationem testificationum ab vtraque parte produci possint, donec in causâ conclusum sit; alterum si in regno Scotiæ consuetudo inualuit, vt instrumentum regis plenam fidem mereatur, eam etiam in foro Ecclesiastico propter regis auctoritatem & honestatem seruandam esse.

## SUMMARIUM.

1. Limitatur constitutio relata in textu, quod instrumenta post publicationem testificationum ab vtraque parte produci possint, donec in causâ conclusum sit.
2. Consuetudine introduci potest, vt literis Regis, Principis, vel alterius excellentis Magistratus plena fides habeatur, etiam in præiudicium alterius, modo nulla præsumptio sit in contrarium.

NOT. I. Quod ad primum responsum attinet, *Felinus* hęc limitationes adhibet, quæ fermè intelliguntur ex materiâ de testibus. 1. est, quod iudex ex officio, si necesse sit, instrumenta recipere possit post

conclusionem in causâ. Altera; in causâ criminali reus ad sui defensionem instrumenta, aliâsque probationes producere potest post conclusionem in causâ. 3. est, si instrumenta absque negligentia partis ab eâ de nouo reperta sint. 4. Si pars aduersaria consentiat productioni. 5. Si per negligentiam tutoris, vel administratoris instrumenta producta non sint, succurretur pupillo, & Ecclesiæ per in integrum restitutionem, & quidem non tantum post causæ conclusionem, sed etiam post latam sententiam, teste *gl. c. Inter. 20. de re iudicatâ.*

Not. II. Licet communi iure litteræ magistratus, si aliter probatæ non sint, pro authenticis non habeantur in præiudicium personæ tertie, vti dixi *in c. 7. de probat.* tamen consuetudine introduci potest, vt scripturæ excellentis Magistratus, Regis, Principis, Episcopi plena fides habeatur, etiam in præiudicium alterius, dummodo nulla suspicio aut præsumptio in contrarium sit, vti colligitur *ex hoc c. in fine.*

## CAPITVLVM X.

## Ioannes.

## PARAPHRASIS.

Eremita Ioannes coram iudicibus Viterbiensibus petebat libras Senenses 130. ex causâ mutui, domum quoque sibi liberam & vacuam tradi ex causâ factæ venditionis, Petrus autem ex aduerso dicebat sibi ratione eiusdem domus venditæ Ioanni deberi 180. libras, vt proinde factâ compensatione nihil ampliùs ex mutuo debeat, cum autem iudices in causâ progressi essent, denique Petrum condemnârunt ad domum vacuam & liberam tradendam Ioanni, ab hâc porro sententia Petrus appellauit ad Innoc. III. qui partibus auditores, seu cognitores causæ designauit, coram quibus Petrus per 4. testes probauit venditionem non puram sed conditionalem fuisse, videlicet hoc adjecto modo, vt Petrus, dum viueret, domum inhabitare posset,

x x

postea

postea verò Ioannis nepotibus proueniret; & ob hunc adjectum modum in gratiam venditoris minore pretio domum venditam fuisse, verumtamen anni, mensis ac diei, quo venditio facta fuerit, testes dicebant se non recordari; & è contrario Ioannes ad probandum, quòd venditio domus non conditionalis, sed pura fuerit, instrumentum publicum produxit, tabellionem quoque, qui instrumentum confecit & testem vnum, cuius nomen subscriptum erat. Hinc orta est dubitatio vtra harum probationum praualeat debeat, pro parte Rei allegatum fuit, tametsi in litibus iudicialibus parem probandi vim habeant instrumentum & testes, tamen non quodlibet instrumentum trium, vel plurium idoneorum testium depositionibus præferri, ad id Ioannes respondit, cum ipse intentionem suam per instrumentum fundarit, ac Petrus per modum exceptionis objecerit venditionem fuisse conditionalem, hoc verò per testes de certo tempore deponentes probatum non sit, idèoque non constet eos testificari de eadem venditione, quæ per instrumentum, vt determinato tempore facta, probata erat, hinc consequens esse, quòd probatio ista per testes inefficax sit ad intentionem Ioannis elidendam. Sed denuò replicauit Petrus, responsum Ioannis non subsistere, siquidem vtraque pars à Pontifice interrogata in iudicio confessæ est, vnicam tantum fuisse celebratam venditionem; apparet itaque ex testium depositione eam fuisse conditionalem; cui nihil obstat, quòd interrogatio à Pontifice facta sit post conclusionem in causâ, siquidem iudex, qui vsque ad prolationem sententiæ cuncta rimari debet, interrogare potest de facto, quotiescunque dubitatio incurrit; quare Innocentius Papa, requisito Cardinalium consilio, pronuntiauit venditionem conditionalem fuisse, ac proinde Petrum non obligari ad tradendam domum, sententiam verò iudicum, à quibus appellatum, & qui iustè pronuntiarunt (eo, quòd exceptio de venditione condicionali coram ipsis proposita & pro-

bata non fuerit) quoad dictum articulum infirmat; quoad alios verò articulos confirmat.

## S Y M M A R I V M.

1. Si debita sint vtrique liquida & circa res, quæ sub genere suo functionem recipiunt, licet ex diuersis titulis sint, compensationi locus est.
2. Modus adjectus contractui venditionis grauens emptorem, in partem pretij computandus est.
3. Vacillat Instrumentum, si testes inscripti, vel subscripti negent se interfuisse rei gesta ibidem narrata.
4. Expediit, vt testes in instrumento publico sua nomina subscribant.
5. Instrumentum Notarij manu confectum, & idoneorum testium depositio, parem probandi vim habent.
6. An & quando duo testes sufficiant ad derogandam fidem instrumento publico; quando non.
7. Iudex partes de iis, quæ ad litis decisionem pertinent, etiam post conclusionem in causa interrogare potest.
8. In causa appellationis allegata in priori iudicio & non probata, probari possunt, modò ad causæ decisionem pertineant.
9. Quod officium sit iudicis appellationis.

**NOT. I.** Si debita sint vtrique circa res, quæ sub genere suo functionem ac commutationem recipiunt, tametsi ex diuersis causis seu titulis sint, compensationi locus est. *l. 4. C. de compensat. & docui lib. 3. Th. Mor. Tract. 2. cap. 9. n. 9.*

Requiritur tamen, vt vtrumque debitum sit æquè liquidum, seu indubitatum, sin autem debitum actoris seu petitoris liquidum sit, non potest reus conuentus allegando dubium, aut intricatum, multatimque indaginem requirens debitum allegare compensandi causa, sed satisfacere cogitur, controuersia suâ in aliud iudicium reseruata. *l. ult. C. de compens.* quodnam verò intricatum debitum sit, iudicis arbitrio committitur.

Not. II.

2 Not. II. Modus adjectus contractui absoluto & perfecto interdum conditio vocatur, verumtamen si proprie accipiat, differt à conditione, cuius natura est, vt suspendat contractum, sicuti docui *lib. 5. Th. Mor. Tract. ult. p. 2. cap. 7. n. 10.*

3 Not. III. Si modus adjectus contractui venditionis grauet emptorem, tunc in partem pretii computari debet, seu rem tanto minoris vendi æquum est. *l. fundi 79. de conditionalis emptione*, vbi Baldus ait, quòd pactum, quo emptor grauetur, in partem pretii computari debet.

4 Not. IV. Licet instrumentum Notarii cum solemnitatibus suis fidem faciat, tamen si dubitetur de instrumento, aut contentis eius, multum adiumenti adferret, si Notarius ac testes inscripti producantur, qui affirmant ita gestum esse, quàm de re *Menochius casu 135. n. 39.* contra verò, si testes inscripti aut subscripti negent se interfuisse, vacillat instrumentum, donec conuincatur, quàm de re, *Innoc. & Io. Andr. hic.*

5 Not. V. Expedire videtur, vt testes in instrumento publico nomina sua subscribant, cum alioquin plures fraudes à Notario committi possint, si ipse solus totum instrumentum testium quoque nominibus inscriptis conficiat, id tamen fermè non obseruatur, vt monet *Abbas in c. 1. n. 3. hoc tit.* immò frequenter accidit, vt Notarius domi suæ cum à contrahentibus & inscriptis testibus remotus est, solemniter in membranâ conficiat, quod, vt dixi, fraudis periculo non caret.

6 Not. VI. Instrumentum Notarii manu confectum, & idoneorum testium depositio parem probandi vim habent. *l. In exercendis. 5. hoc tit.*

Sed quæritur, num duo testes sufficiant ad derogandam fidem instrumento publico. Variè hîc loquuntur. Sed dico primò. Si testes directè non deponant contra contenta instrumenti, sed contra ipsum instrumentum v. g. Notario ostendendo contrahentem, aut testem inscriptum eo tempore alibi fuisse, hoc casu sufficiunt

duo testes ad reprobandum, teste *Innoc. hic n. 8.*

Dico 2. Si testes producti directè deponant aduersus contenta instrumenti secundum casum nostri Capituli, iudicis arbitrio committendum est, num instrumento, an duobus, vel pluribus testibus de contrario deponentibus fides maior habenda sit, prout etiam ex hoc c. colligitur; in dubio tamen potius inclinandum est in fauorem instrumenti, alioquin non suspecti, præsertim si antiquum sit, eò quòd hominum memoria labilis existat, prout *Io. Andreas* hîc tradit, & colligitur ex *l. Optimam. 14. §. Et si. C. de contrah. emptione.* & ex hoc c. dum enim dicitur instrumentum tribus, vel quatuor testibus de contrario deponentibus non præferri, satis significatur, duobus saltem testibus ordinariè præferendum esse.

7 Not. VII. Iudex ex officio partes de iis, quæ ad litis decisionem inferuire possunt interrogare potest, etiam post conclusionem in causâ. *l. Ubique. juncta gl. ff. de interrogat.*

8 Not. VIII. In causâ appellationis, seu coram iudice appellationis non allegata in priore iudicio, allegari, & non probata ab utrâque litigantium parte probari possunt, dummodo ea dependentia sint, seu pertinentia ad causæ decisionem, ita hîc & in *l. Per hanc. 4.* quam ibi commendant *DD. C. de temporib. appellat.* vide *Felin. hic n. 14.*

9 Not. vlt. Iudex appellationis interdum pronuntiare debet priorem iudicem formaliter loquendo justè iudicasse, videlicet secundum allegata & probata apud ipsum, licet sententia eius vel omnino vel secundum vnum alterumve articulum retractanda sit, propter pleniorum causæ deductionem, atque connexionem; & conuenit, vt iudex appellationis, quantum potest, saluâ iustitiâ prioris iudicis existimationem conseruet ac sententiam eius defendat. *Argum. c. Abbate, 25. de verb. signif.*

\* \* \*

## Ex parte.

## PARAPHRASIS.

In rescripto Apostolico positum erat verbum spoliarunt, omisa littera O, dubitatum fuit, an idcirco vitiosum censeatur, atque irritum, respondet Honorius III. eo defectu nihil obstante, in negotio procedendum esse secundum eiusdem rescripti tenorem.

## SYMMARIVM.

1. Error scriptoris leuis non vitiat rescriptum Principis, si de eius mente constet.

**N**OT. vnic. Propter errorem leuem scriptoris, si de mente principis constet, rescriptum eius, seu gratia sit, seu iustitia, corrumpere non debet, ita *Innoc. hic, Abbas, Felin. & alij.* exemplum aliud affertur ex Cardinale, *consil. 95.* si appareat in rescripto Apostolico vocabulum incuriam scriptoris omisum fuisse, v. g. si praecipitur executori, vt Titium de beneficio prouisum mittat in corporalem, omisa voce possessionem, executioni mandandum esse. vide, quae dixi in *c. Significatio. 34. de rescriptis. & lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 22. n. 27.*

Obijcitur *s. Ad audiendam. 11.* vbi dicitur rescriptum Apostolicum reiiciendum esse, si in eo vitium constructionis seu solocismus sit, ergo vnus litterae mutatio vitare potest rescriptum, vt si scriptum sit, Titium in corporale possessionem mittendum esse. *sc.* vt ibi dixi, quod non omnia vitata latinitas rescriptum vitiet, sed si talis sit, vt inde probabiliter colligi possit esse subreptitium, id verò in casu nostro non accidit, cum facile sit non tantum scriptorem errasse litteram mutando, aut vocem omittendo, sed etiam expeditores, per quorum manus rescriptum transiit, errorem talem haud aduertisse. Verumtamen, si errorem aduertant, curare deberent, vt corrigetur.

## G. perpetuus.

## PARAPHRASIS.

Prior & Conuentus de Ledis G. Vicario perpetuo Ecclesiae de Recha actionem super decimis coram delegatis Papae intentauit, idemque Vicarius eosdem super similibus causis reconuenit, insuperque à iudicibus instanter postulauit, vt cogerent partem aduersariam ad edendum instrumenta communia, per quae ipse intentionem suam principalem probare possit, quod cum illi denegarent, G. ad Pontificem appellauit, ea propter hic mandat, si ita se res habeat, quae post appellationem attentata sunt, in statum pristinum reuocanda esse.

## SYMMARIVM.

1. Vicarius perpetuus agere potest pro iuribus Vicariae suae, etiam sine mandato Rectoris Principalis.
2. Pars litigans cogi potest, vt communia Instrumenta edat.
3. Vnde cum acta iudicii communia sint, exhiberi ea debent iudice ex officio petente, vel ad instantiam partis.

**N**OT. I. Vicarius perpetuus agere potest pro iuribus Vicariae suae etiam sine mandato Rectoris principalis, nam Vicarius perpetuus titulum beneficii obtinet, *c. Michael. de filiis presbyterorum.* & idcirco de ipso, sicut de aliis curatis, & beneficiatis sentiendum est. *Clement. vn. de Officio Vicarij.* constat autem, quod curatus, vel alius beneficiatus in iudicio agere possit pro iuribus beneficii sui. *c. 3. de probat. ergo &c.*

Immo in tali casu Vicarius perpetuus praeferi debet Rectori principali, cum enim ipse Vicariae iura & fructus tanquam usufructuarius quidam participet, ideo ipsius principaliter interest, sicuti *Felin.* hic notat *n. 7.* Caterum, si principalis iudicio assistere velit, admitteendus est, cum etiam eius intersit, eò quod Vicario causam perdenti, & idcirco sustentationem necessariam non haben-

habenti, etiam Rector provisionem facere debeat.

3 Not. II. Pars litigans cogi potest, ut communia instrumenta edat, ut dixi in c. 10. de probat. & tradit Gl. hic. Hinc infert Innoc. hic, quem alij sequuntur, si actor a sententiâ contra se latâ appellavit, sed copiam eius non habeat, quod reum cogere possit ad edendum, quia acta iudicii communia sunt, id est exhiberi debent siue iudice ex officio petente, siue ad instantiam partis. l. 2. junctâ Rubricâ. Immo. ff. de edendo. quod si & ipse Reus neget se copiam actorum habere, tum interrogari potest, num talis pro ipso sententiâ lata sit. l. pensile. ff. de interrog. action. ac denique, si negaverit latam esse, cogendus est renunciare sententiâ, si fortè lata sit, vel iudex pronuntiabit, si lata sit, ut nullas vires habeat. Argum. l. Non alienum. si tamen dolo caruit Reus, seu errore ductus ita respondit, restituendus erit, vide Felin. hic num. 11.

## CAPITVLVM XIII.

## Imputari.

## PARAPHRASIS.

Aliquis in iudicio produxit duas scripturas inuicem contrarias, hoc casu, ait Greg. IX. quod fidem sibi inuicem derogent, & idè non probent, quare sibi imputet, qui tales scripturas produxit, cum in ipsius arbitrio fuerit alterutram non proferre.

## SUMMARIVM.

1. Qui contrarias scripturas producit, nihil probat.
2. Producent instrumenta censetur omnia in eis contenta confiteri.
3. Si à partibus diuersis contraria instrumenta producantur, utri fides haberi debeat à iudice.

3 NOT. Vnic. Qui scripturas contrarias in iudicio producit, nihil probat, sumptum id est ex l. 14. C. hoc tit. scripturæ diuersæ fidem sibi inuicem derogantes ab vnâ, eademque parte prolata nihil firmitatis ha-

bere poterunt, ut si in vnâ contineatur te hoc die & loco ædes emisse solum, in alterâ te emisse cum vxore.

Hinc regulam colligunt DD. quod contraria probando allegans repellendus sit, quod locum habet non tantum in actore, sed etiam in Reo excipiente, teste Andrea hic n. 5. gl. cit. l. Scriptura. in addit. vbi rectè monent, facilius Reum ad sui defensionem contraria allegantem sustineri, juxta Reg. 42. & 167. Digestorum, quàm allegantem contraria probandi causa.

His accedit, quod Innoc. notat in c. Cum olim. in fine. de censibus. quod producent instrumenta censetur omnia confiteri, quæ in iis continentur, itaq; si ea contraria sunt, sequitur, quod producent, & contraria probationis causâ alleget, & eadem tacitè confiteatur. Et quæ hic dicuntur, magis etiam locum habent, si in communi instrumento contraria reperiantur, quod nulla inde probatio fiat, si tamen commodo aliquo intellectu, aut casuum diuisione contrarietas tolli possit, talis intellectus præferri debet. c. Inter. 6. hoc tit.

3 Quæres: Si à partibus diuersis contraria instrumenta producantur, utri fidem habere debet iudex. R. in primis, quæ dignior scriptura est, v. g. publica, aut magis authentica testibus alijsq; iudiciis confirmata, præferri debet, ut Abbas hic docet n. 3. & sumitur ex l. Optimam. 14. C. de contrahendâ stipulat. sin autem paræ autoritatis videantur, tunc elisa censetur probatio, idèque Reus absoluendus erit, secundum DD. hic apud Andr. n. 6. Abbatem n. 6.

## CAPITVLVM XIV.

## Si cautio.

## PARAPHRASIS.

Titius petebat à Caio aureos 100. atque ad intentionem suam probandam produxit cautionem, in quâ Caius indeterminatè nullâque expressâ causâ confitebatur se debere Titio aureos 100. hoc casu idem Titius probare tenetur debitum, si autem in productâ cautione Caius confiteatur

se debitorem esse ex causâ determinatâ, v. g. accepti mutui, tunc statur eius confessione, nisi probet se indebitè promississe, aut confessum fuisse.

Nomine cautionis intelligi debet promissio, cui nec pignus, nec fidei iussio adjecta, sed nudè facta est, siue stipulatio aut scriptura publica, vel priuata interuenierit siue non. *l. Sancimus. 3. C. de verb. signif.*

SUMMARYM.

1. Cautio seu promissio dandi aut faciendi facta, non expressâ causâ, nullam actionem vel obligationem parit, etiam in foro canonico, nisi actor probet, verè debitum esse.

2. Limitatur.

3. Si in cautione seu promissione causa debiti continetur, standum est confessione. Nisi contentus per errorem se confessum esse indebitum ostendas, vel exceptionem non numeratâ pecunia in contractu mutui intra biennium obieciat.

**NOT. I.** Si cautio, seu promissio dandi, aut faciendi facta sit, non expressâ causâ, nulla inde actio & obligatio in foro externo, etiam canonico nascitur, nisi actor probet verè debitum esse. ita habetur etiam in *l. De indebito. 25. §. ult. ff. de probat.* & videri potest *Felin. hic. n. 1.* ratio dari debet, quia obligatio dandi vel faciendi, ipsūque jus & actio petendi non oritur, nisi ex causâ, seu titulo, cum itaque nulla expressa sit, præsumitur per errorem promissio emanasse, aut sub conditione facta, quæ conditio impleta non sit, ita vt competat conditio dati ob causam, causâ non secutâ, præterquam si actor titulum seu causam debiti ostendat. His consentiunt ea, quæ dixi *lib. 3. Th. Mor. Tract. 4. cap. 2. n. 3.* ex pacto nudo secundum forum etiam canonicum actionem non oriri, nisi causa expressa sit, vel ea ab actore demonstrari possit.

Limitationes sunt tamen plures apud *Felinum hic.* si versemur in casu, in quo donatio præsumitur, vt si diues indigenti promittat; vel si merita antecesserunt, ob quæ promissum videatur. & plura reperies apud

*Menoch. in arbitr. casu 88.* Altera, si promissio facta sit Ecclesiæ, quia sufficiens ad est causa pietatis & religionis.

3. Confessio liberatoria facta ab eo, qui remittere potest, vim pacti continet, & liberationem debiti inducit, vt si Titius dicat Caio, confiteor nihil mihi à te deberi. *l. tale. 40. ff. de pactis.*

4. Si quis confiteatur rem suam non esse, tunc pro derelictâ eam habere censetur, vt alterius accipientis fiat. *l. 2. ff. pro derelicto.*

5. Nisi præsumptio adsit, excidisse causam promissionis & obligationis, vt si promissio, aut confessio geminata sit, nam geminata seu repetita cautionis magnam vim esse docet *Bartolus* communiter receptus in *l. Cum scimus. C. de agricolis lib. 11. Doctores in l. Mulier. 22. C. ad Velleianum,* vbi aiunt, quod confessio aut promissio geminata non expressâ causâ actionem pariat, plura vide apud *Felin.*

**NOT. II.** Si in cautione seu promissione causa debiti contineatur v. g. ex deposito, ex donato, tunc standum est confessione, nisi is, qui conuenitur, ostendat se per errorem confessum esse indebitum, quod existimabat esse debitum. *Argum. e. ult. de solut.* vel nisi exceptio non numeratâ pecuniâ obieciatur intra biennium in mutui contractu. *C. de non numeratâ pecuniâ, & dixi lib. 3. Th. Mor. Tract. 4. cap. 15. in fine.*

CAPITVLVM XV.

Cum P.

PARAPHRASIS.

Quidam tabellio morte præuentus, contractus, quos in notam seu protocollum receperat, in publica instrumenta non redegit seu perfecit, hoc casu ait Greg. IX. ad petitionem eorum, ad quos acta pertinent, alium Notarium, iudicis interueniente autoritate, posse in publicam scripturam formam redigere, ita vt perpetuam obtineant firmitatem.

SUMMARYM.

1. Notario mortuo substitui alius Notarius potest,

- potest, qui acta ab illo Protocollo tantum inserta, in solenne instrumentum redigat.
2. Requiritur tamen, ut id interveniente auctoritate iudicis fiat, & fideliter, nihil addendo vel demendo.
  3. Protocollum rite manu Notarii scriptum ex partium rogatione, de actis fidem facit.
  4. Si Notarius ob impedimentum instrumenta ab alio scribi curet, quibus subscribit, & sigillum suum apponit, ea plene in iudicio probabunt.
  5. Protocollum Notarius partibus ut ostendat prius, quam illud in formam redigat, consultum est, secundum Imolam etiam necessarium.
  6. Quis habeat potestatem Notarium seu tabellionem creandi.
  7. Notarius instrumentum intraterritorium eius, cuius auctoritate constitutus est, conficere potest etiam extraneis, ita ut fidem etiam alibi faciant.
  8. Notarius creatus ab Imperatore, aut Rege, non potest extra Imperium vel Regnum de communi jure instrumenta conficere.
  9. Potest (saltem de consuetudine) Notarius a Papa constitutus in temporalibus quoque causis instrumenta conficere, & in spiritualibus Notarius ab Imperatore constitutus.
- NOT. VII.** Si Notarius, qui ex partium rogatione protocollum fecit, antequam acta in solenne instrumentum redigat, mortuus sit, alius Notarius ex partium consensu perficere potest, dummodo iudicis auctoritas interueniat.
2. Debet tamen alter Notarius instrumentum fideliter conficere secundum ea, quae in protocollo reperit, nihil addendo, vel detrahendo, cum enim ipse actis non interfuerit, non potest aliud scribere, nisi quod in protocollo continetur, sicuti monet hic Imola n. 2.
  3. Quæritur 1. Num protocollum Notarii manu scriptum ex partium rogatione fidem faciat de actis. R. affirmatiue, si protocollum ita scriptum sit, ut ex eo, quae acta sint plene intelligi possint, ut docet Imola hic n. 3. Felin. n. 1. nam protocollum cum

originale sit, præcipuam fidem mereri debet, quandoquidem ad illud recurrendum est, si de instrumento, quod ex protocollo conficitur, dubium incidat. c. Quoniam. 11. de probat. quamobrem Notarii protocollo feruare debent, sicuti Felin. hic monet n. 2. Durand. in speculo lib. 2. p. 2. de instrum. edit. §. 2.

Verumtamen, si vel ex jure communi, vel consuetudine, vel partium voluntate contractus antea robur non habeat, nisi scriptura seu instrumentum super eo perfectum sit, tunc nullum ex Notarii protocollo jus parti contrahenti oritur. l. Contractus. 17. C. de fide instrum. ubi gl. monet verb. In scriptis. quod scriptura interdum requiratur ad substantiam contractus. interdum autem ad probationem. l. Contrahitur. ff. de pignoribus. vide Abbatem hic. n. 4.

Quæritur 2. Si Notarius ob infirmitatem, aliudue impedimentum ipsemet non possit instrumentum conficere, an alteri ex protocollo conficiendum tradere possit. R. licet in Auth. de tabellionibus decretum sit, ut tabellio à partibus rogatus, per se negotium audiat, & ipsemet scribat, neque alteri deleget, idque tradat gl. hic. verb. Perpetuam. tamen consuetudo multis locis obtinuit, ut Notarii propter impedimentum suum ab alio instrumenta scribi curent, ipsique postea ab ipsis lectis subscriptionem suam adiungant & sigillum, testantes esse secundum acta & protocollum rectè ac fideliter scriptum, quæ de re Durand. cit. §. 2. n. 36. Abbas hic in fine. n. 2. Henricus Cnaustinus de arte Notariorum.

Quæritur 3. Vtrum Notarius protocollum partibus ostendere aut legere debeat, priusquam in formam publicam redigat. R. esse id valde consultum atque consuetum, imò necessariò requiri, ait Imola hic. n. 2. licet contrarium sentiat Abbas n. 4. eò quod nullum jus extet, quo id præcipiatur.

Quæritur 4. Quisnam potestatem habeat tabelliones creandi. R. id proprium esse supremi Principis seu Magistratus, videlicet Papæ, Imperatoris, Regis aut alterius, qui in temporalibus superiore nullum

nullum agnoscit. his adde illos, qui à summo principe speciale hoc Notarios creandi privilegium acceperunt. Denique si aliqui per immemorabilem consuetudinem talem potestatem præscripserunt, ita Durand. §. 8. n. 23. Innoc. hic. n. 4. Abbas n. 7. Silvest. q. 1. nam solius Principis est, quidpiam à communi jure omnium gentium exorbitans, veluti dispensando introducere, id autem valde exorbitans est à communi gentium jure, ut unius hominis scripturæ etiam sine cuiuspiam viæ vocis contestatione plena fides habeatur, cuiusmodi fides, neque magistratus alicuius scripturæ, aut sigillo in alterius personæ præiudicium haberi solet. c. Post sessionem 7. de probat. c. Cum dilectus 9. hoc tit.

Veruntamen consuetudine obtentum est, ut etiam inferiores magistratus v. g. Episcopi intra diocesin suam, comites, barones, ciuitates imperiales intra territorium suum, tabelliones constituent, teste Silvestro cit. q. 1. Causino fol. 9. Innoc. tamen hic. n. 2. ait, talibus ab inferiore constitutis propriè non competere officium tabellionis.

In eo porro dissentiunt DD. vtrum notarius possit instrumenta conficere extra territorium constituentis, affirmant Silu. verb. Notarius n. 4. Causinus l. e. si à Principe creatus sit, quia instrumentum conficere non est actus iurisdictionis, ut extra territorium exerceri nequeat. iuxta c. de consue. in 6. Durand. cit. §. 8. n. 23. Tapia hic super Abbate n. 9. De Notariis creatis à Papâ & Imperatore, aut ab horum alterutro speciale privilegium habente, aiunt, quod ubique locorum instrumenta conficere possint eo argumento, quod tamen falsum esse dixi. lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 8. n. 3. quod Imperator (& alij hoc ipsum dixerunt de Papâ) totius mundi dominus sit.

7 Ad quæstionem dico; Notarius instrumentum intra territorium eius, cuius auctoritate constitutus est, conficere potest etiam extraneis ac peregrinis ipsum rogantibus, & ita quidem, ut fides instrumento etiam alibi seu extra territorium tribuenda sit, ita Abbas hic n. 9. Felin. n. 16. Gabriel.

lib. 1. de fide instrum. concl. 1. n. 10. Bart. in l. 1. C. de emancipat. liberorum. Argum. eius textus.

Dico 2. Notarius creatus ab Imperatore aut Rege, non potest extra Imperium, vel regnum spectato communi jure, instrumenta conficere, ita Abbas hic n. 9. Felin. n. 15. Ratio est, quia notarius iurisdictionem non exercet, seu voluntariam seu contentiosam, cui aliqui se sponte subijciant; sed officium gerit in republicâ, cum seruus publicus sit. l. Non aliter. 18. ff. de adapt. officium autem publicum astringi solet intra terminos regionis eius, à quo defertur, & ad quam defertur. Argum. l. 3. ff. de officio Præsidis.

Dixi autem communi jure, at verò per consuetudinem, vel tacitum consensus alieni principis introduci potest, ut notarius extra territorium constituentis instrumenta conficere possit, quomodo notarij à Sede Apostolicâ creati & immatriculati non tantum in terris imperij, sed etiam in aliis regnis instrumenta conficiunt, sicuti Durand. Abbas & Felin. docent. Notarij quoque ab Imperatore constituti & immatriculati saltem in terris Ecclesiæ, instrumenta conficere posse censentur, teste Imola n. 5. Cardinale Tusco, qui tamen probabiliter ait, quod quilibet notarius extra territorium constituentis, saltem inter subditos eius instrumenta conficere queat.

His adde, sicut notarius à Papâ constitutus in temporalibus quoque causis, ita & notarium ab Imperatore creatum in causis spiritualibus, instrumenta conficere posse, saltem propter consuetudinem, de qua restatur Abbas in c. Sicut. n. 12. & 17. Gabriel. cit. concl. 1. n. 7.

## CAPITULUM VLT.

### Si instrumenta.

#### PARAPHRASIS.

Si quis instrumenta propter vetustatem, & hanc causam exemplari petat, iudex ordinarius, vel ab eo specialiter delegatus,

tus, illa diligenter inspiciat, & si nulla sui parte vitata repererit, per publicam personam, seu tabellionem ea præcipiat exemplari, ita vt eandem cum originalibus obtineant firmitatem.

## S V M M A R I V M.

1. Notarius ad rogationem partium ob justam causam exemplare debet instrumentum authenticum. Et quæ sit justa causa.
2. Debet autem interuenire iudicis auctoritas, qui citatis iis, quorum interest, & causâ cognitâ Originale censeat, & facultatem exemplandi concedat.
3. Hoc tamen limitatur.
4. Exemplatum instrumentum seu Vidimus, in quo de testibus, aut de partium quarum interest, præsentia & rogatione mentio non fiat, nihil probat.
5. Instrumentum amissum, an & quomodo denuò confici possit, ac debeat, vt publicam fidem faciat.

**N**OT. VII. Ob justam causam Notarius ad rogationem partium cum iudicis auctoritate instrumentum authenticum exemplare debet.

Causa justa est, ne alioquin pereat probandi facultas, quia ob vetustatem consumetur originale, vel quia ex archiuio seu loco vbi asseruatur, afferri non potest, aut non sine periculo amissionis ad locum remotum mitti, sed & interdum expedit, vt plura de eodem contractu habeantur instrumenta, quæ v. g. sint penes vtramque contrahentium partem aut vtrumque sociorum, vti ex Hostiensis notat hîc Abbas, & Durand. §. 8. n. 1.

**N**ecessarium autem est iudicis auctoritatem interuenire, qui citatis iis, quorum interest (vñ videre est apud Innoc. hîc n. 1. Felin. n. 6. Argum. c. Significauit. 4. r. de testib.) & causâ summarie cognita originale dignum fide seu authenticum censeat, atque exemplandi facultatem tribuat.

Excipitur 1. Si idem sit Notarius, qui originale instrumentum fecit, potest is exemplare ad partis, cuius interest, petitionem, etiam sine iudicis consensu, secundum Bartol. in auth. Si quis in aliquo. C. de edendo. cum sit eadem persona, inquit, & eadem auctoritas, quæ vtrique scripturæ fidem facit.

Excipitur 2. Si partes, quarum interest consentiunt, vrgentque Notarium, vt exemplum instrumenti conficiat, tum id fidem facit, saltem in præiudicium partium, sicuti docet Bartol. in cit. Auth. n. 5. immò probabiliter, ait Imola hîc n. 5. Felin. n. 4. si Notarius coram testibus rogetur à partibus de exemplando, quòd exemplum publici instrumenti valorem habeat non minus, quàm originale.

Corollarium. Si quis Notarij manu exemplatum instrumentum seu Vidimus afferat, in quo aut de testibus, aut de partium, quarum interest, præsentia & rogatione mentio fiat, fidem facere non debet.

Quæritur. Si instrumentum amissum dicatur, vtrum denuò confici possit, vt publicam auctoritatem mereatur. R. cum Durand. n. 2. Bartolo. num. 6. id fieri posse cum iudicis auctoritate, si coram eo citatis iis, quorum interest, amissio instrumenti sufficienter probata sit; sin autem instrumenti confectio in nullius alterius præiudicium cedat, tum iudicis auctoritate opus non est, sed sicuti prius originale coram testibus & ad partis, seu partium rogationem confici potuit. Argum. c. Dudum. 20. de conuers. coniugat. ita & poterit post amissionem denuò confici, prout notauit Durand. cit. n. 2. vbi ait, si nemini præiudicium paratur, potest confici etiam sine iudicis auctoritate vel parte alterâ non citata, vel amissione non probatâ.

AS: (o): SW

yy

TITV.